



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 23. Et cum facta esset hora discubuit. v. 14.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

debo esse magnificentissimus. Itaque templa, altaria, calices, mappas & reliquum apparatus volo secundum Canones Ecclesiasticos esse magnificentissimum, ex auro, gemmis, serico, argento, aurichalco. Verbo, quantum potero tantum audebo. Tu da mihi & omnibus Christianis, vt ad tuam compensandam humilitatem exhibitam olim, omnia magnifica tibi nunc impendere magnificentissimo ritu & caremoniis allaboremus. et si alibi in sumptu deficiamus, ibi nunc parcamus.

§. 23. *Et cum facta esset hora discubuit. v. 14.*

Jam Discipulorum duo principes, tanquam Christi aulae praefectus & Magister apparauerant pascha Domino nostro, & honorifice excepturi venientem & inducturi eum reuerterant, cum Patrisfamilias famulatu obuia missio, qui Dominum inuitarent, & ei offerrent obsequium. Jam etiam Dominus N. Jesus se excipi passus erat, & humanissima conuersatione exceptus excepterat etiam ipse excipientes se; cum ipse seorsim cum suis in caenaculo sibi parato, ea vespera, velle caenare ostendit patrisfamilias, vti solent Magnates quoque ordinare de se & suis, recusando esse in concursu plurium conuiuarum, cum in hospitiiis commorantur. Atque ita Dominus in caenaculum illud paratum secessit, Domino Domus omnia impendia praestante, & per certos ministrante in caenaculo, cum magna accuratione, & inspectione ne quid deesset. Nec est dubium, quin ingressus Dominus N. Jesus, osculo cum Apostolis sit exceptus, & balneum pedibus oblatum sit, antequam ingrederentur proprium caenaculum. Ibi igitur omnibus apparatus discubuerunt ad mensam, more orientali in lectulis tricliniaribus, cum hora caenae aduenisset, quae erat communiter prima noctis, propter quod etiam hic absolute dicitur hora facta fuisse.

**H**aec contemplans, rogo te Dmoine, exorna me quoque moribus condecoris & decoris, foris, & intus tibi para caenaculum ex corde meo apparatus spiritus sancti donis, in quo habites, discumbas, & cuncta ordines ad tui satisfactionem, & ibi vinculis amoris ita tibi astrictus haeream, vt nihil cogitem, dicam, vel agam, nisi quod cedat ad maiorem tui gloriam, vt dignus aliquando inueniar caelestibus interesse confessibus & mensis.

§. 24. *Et duodecim Apostolicum eo. v. 14.*

Quae apud bene moratos homines consuetudo est, maxime Magnates, vt hi primo suaque sponse considerant ad mensam, deinde eos, quos adhibere volunt, ordine iubeant ad sidere secum, eam quoque obseruantiam bonorum morum in Christi Domini aula obseruo seruaram, nam diser-

C

te